

De Dionysii et Caecilii studiis rhetoricis.

In libris rhetoricis Dionysii Halicarnassensis iterum atque iterum querelas invenimus, quibus rhetor ille miserum statum, in quem studium rhetorices ante aetatem Augusti incidit deplorat. Imprimis quidem in praefatione iis disputationibus praemissa, quae ad singulos oratores Atticos spectant, Dionysius accuratius sententiam hanc exposuit atque de causis corruptae eloquentiae disseruit. Antiquam et philosopham rhetoricen illo tempore neglectam et fere abolitam esse contendit neque ante Augusti aetatem multum afuisse, quin totum eius studium prorsus exstingeretur.

Quam opinionem, si quidem consideraverimus Dionysium dum talia perscribebat Asiaticos praecipue rhetores habuisse in mente, non fuisse prorsus iusta et idonea causa privatam necesse est concedamus. Hos enim rhetores, qui ante Augusti aetatem omnes occupabant scholas, artem et omnino eruditionem nauci fecisse constat. Attamen nihilominus offensionem aliquam habet, quod Dionysius ita in studia temporis illius invehitur, quasi inde ab Alexandri tempore nullus exstisset rhetor, qui neglectam artis scientiam instaurare et renovare conatus sit. Equidem non miror eum neque Cornificii neque Ciceronis mentionem ullam fecisse, cum hi auctores tantummodo ex antiquis hauserint fontibus. Attamen vixerunt illa aetate aliquot rhetores Graeci, quos aliquantulum saltem ad studia huius doctrinae renovanda contulisse ex Romanorum imprimis libris apparet. Ita quidem secundo fere saeculo ante Chr. exstitit Romae Hermagoras, cuius auctoritate et libris complures scriptores Romani qui de arte aliquid composuerunt nitebantur. Augusti vero aetate Apollodorus Pergamenus et Theodorus Gadareus praecipue in se converterunt studia. Quin Dio-

nysius illorum temporum aequalis horum clarissimorum rhetorum libros vel opiniones noverit omnino dubitari nequit. Aliam igitur necesse est quaeramus causam, qua explicare possimus cur ille horum scriptorum nomina silentio transierit.

Adhuc quidem viri docti contendebant Dionysium in arte rhetorica pressisse tantummodo antiquorum rhetorum vestigia neque protulisse quidquam novi, quod immutare potuisset aequalium opiniones. Quae sententia non ex omni parte recta et vera mihi videtur esse. Si enim consideraverimus quid Hermagoras Apollodorus Theodorus de arte senserint, perspicimus Dionysium a doctrina sui temporis digressum in quibusdam rebus propriam instituisse viam. Apollodorus enim et Theodorus in eorum rhetorum fuerunt numero qui, ut verbis utar Quintiliani, quasi leges quasdam immutabili necessitate constrictas iuventuti proponebant. Hi rhetores nullam oratori relinquebant libertatem, qua ille usus regulas artis ad tempora causas occasiones necessitates accommodare posset. Omnia in eorum aridissimis libris erant provisae, praescriptae, certis finita praecipitis. Cuius rhetorices, quam Spengelius optimo iure scholasticam nominavit, Hermagoras primus fuisse auctor videtur; affectatam eius subtilitatem et diligentiam nimium sollicitam merito irriserat Quintilianus III 11, 21.

A quo Fabii iudicio non differebat Dionysii sententia. Non semel quidem ille declarat oratorem imprimis *καιρόν* respicere debere, quo praeepto quin aequalium rhetorum doctrinam impugnare sit conatus dubitari nequit: *Ἐπὶ πάντων*, inquit De comp. v. c. XII, *οἶμαι δεῖν τὸν καιρὸν ὁρᾶν ὅτιος γὰρ ἡδονῆς καὶ ἀηδίας κράτιστον μέτρον. καιροῦ δ' οὔτε ῥήτωρ οὐδεὶς οὔτε φιλόσοφος εἰς τὸδε χρόνον τέχνην ᾤρισεν*. Atque simili modo hanc oratoris libertatem defendit in capite VI^{to} et XIV^{mo} artis quae dicitur rhetoricae eundemque *καιρόν* praecipuam oratoris normam statuit de Lys. c. 13 (*ὃ πάντα μετρώων καιρός*). Hac quidem de causa maxime Dionysius novos rhetores (*νέους τεχνολογῶντες* De Isaeo c. 14) nauci fecisse videtur. Qui enim talem de rhetorices natura habuit opinionem, eum subtilitates et mysteria (Quint. V 13, 60) aequalium rhetorum contemnere necesse erat. Atque hoc mihi videtur esse insigne Dionysii in arte rhetorica excolenda meritum quod primus oratorem vinculis, quibus scholae Theodori et Apollodori rhetoricam constrinxerunt, liberare studuit.

Idem vero studium etiam in alio libello rhetorico deprehendimus (apud. Speng. Rh. Gr. 1, 427—460), cuius auctor dum doctrinas Apollodori et Theodori refutare conatur plurima ad

horum rhetorum opiniones illustrandas tradidit. Ad quas controversias faciendas eadem causa ignotum tractatus auctorem commovit, quam modo in libris Dionysii animadvertimus. In hoc quoque tractatu aridis et quasi ferreis praeceptis illorum rhetorum iudicium opponitur oratoris. Atque primum Apollodoreis in univ-
sum vitio tribuitur, quod naturam rhetorices prorsus ignorarent. Etenim illi de rhetorice ita disputabant, quasi de scientia res ageretur. Διαφέρει δὲ ἐπιστήμη τῆς τέχνης, καθὼς ἡ μὲν ἀδι-
πλώτων ἐστὶ θεωρημάτων καὶ μίαν ἔχόντων τὴν φύσιν, τέχνη
δὲ ἐκ κινουμένων καὶ ἄλλοτε ἄλλην ἀναλαμβάνοντων φύσιν. τέχνης
οὖν οὕσης τῆς δητορικῆς, καὶ τῶν θεωρημάτων αὐτῆς πρὸς τοὺς
καιροὺς ἀρμοζομένων, ἀμαρτάνουσιν ἐπιστημονικῶς διδόντες τὰ θεω-
ρήματα (p. 431, 24). Paulo post oratoris officium esse di-
citur regulas artis eatenus sequi, quatenus illae temporibus et
causae inserviant. Ἡ μὲν γὰρ τέχνη καθ' ἕκαστον τελείως ἐκπλη-
ροῦν τὸν τόπον ἀναγκάζει, ὃ δὲ τεχνίτης πρὸς τὸ συμφέρον αὐτῷ χρῆ-
σεται (p. 437, 24). In iis porro quae sequuntur contra eiusdem
Apollodori praecepta oratori conceditur libertas diiudicandi utrum
narrationem omittere velit an non. Et *χρεία* quidem hic 442, 9
et 443, 13 quasi quaedam norma oratoris statuitur.

Ignotus huius libelli auctor tres secutus est rhetores, Alexan-
drum Neoclem Harpocratonem. Atque plurima quidem mutuatus
est ab Alexandro, cuius nomen viciens ab eo laudatur. Minus
frequenter usus est Harpocratonis libello, ex quo tantum has quat-
tuor tractatus sui exscripsit particulas:

- 428, 18—19.
- 440, 4—7.
- 447, 20—22.
- 459, 6—460, 36.

Ex tertio denique fonte, qui fuit Neoclis libellus, haec hausit quae
legimus:

- 434, 17—23.
- 446, 3—447, 8.
- 447, 14—20.
- 447, 22—448, 22.
- 453, 2—4.
- 455, 1—456, 8.
- 448, 25—452, 31 (?)¹
- 456, 18—20

¹ Signo apposito declarare volui hos fines sive terminos non

Quae praeterea ex eodem fonte in aliis duabus libelli particulis

441, 17—29

442, 13—25

fluxerint, ea pro certo definiri nequeunt, quia una cum Neocle Alexander in his particulis nominatur.

Ex quo omnino plurima quae tractatus hic continet excerpta sunt. Hoc sane ipse scriptor nomen Alexandri tam saepe laudando indicavit. Atque huius libellum praecipuum eius fuisse fontem ex eo quoque apparet quod scriptor ille ignotus aliquotiens nomine Alexandri laudato ita disserit, ut credere possis eum quaedam quae ipse excogitasset proferre, nisi verbum *ἠγού* postea disputationi interpositum doceret haec omnia ex Alexandri fluxisse libello. Cf.

444, 1 et 445, 5

436, 9 et 438, 26. 439, 4.

Qua quidem observatione probatur libellum Alexandri fere semper oculis ignoti auctoris in hoc tractatu componendo esse observatum.

Nec solum plurimae sed optimae quoque tractatus huius particulae Alexandri nituntur doctrina. Etenim ea quae ex huius tractatu excerpta sunt, multum ad historiam rhetorices illustrandam conferunt, cum aliae disputationis partes notis et pervulgatis observationibus constant. Ita quidem in iis, quae ex Harpocrate exscripta sunt, semel tantum rhetoris antiquioris, Dionysii Halicarnassensis sententia affertur (460, 15), a Neocle non laudantur nisi clarissimi et notissimi scriptores Aristoteles et Eudemus (448, 27), praeterea in iis quae sequuntur Plato (452, 23), si quidem recte hanc particulam ex Neoclis libello esse excerptam statui. Ubicunque vero scriptor ignotus Alexandri nititur auctoritate, disputatio eius fit copiosior et minus exilis, recensentur doctrinae antiquorum rhetorum, exponuntur eorum controversiae.

Alexander hic Numenius Hadriani vixit tempore et non solum artem perscripsit, sed figuris quoque rhetoricis proprium dedicavit libellum. In hoc quidem tractatu non pauca ex Caecilii scriptis rhetoricis hausit (Cf. Rh. Gr. Sp. III 29, 5 et meas Quaestiones Quintilianearum p. 35). Sed etiam in altero illo libello perscribendo non paucas observationes eiusdem auctoris eum disputationi suae inseruisse probabile mihi videtur.

esse prorsus certos. In praecipua particula fortasse non omnia Neoclis sunt, in iis vero quae alteram sequuntur huic rhetori quaedam tribui posse non nego.

Certum doctrinae Caecilii vestigium inest in iis quae in arte ignoti auctoris de figura *διανπόσεως* legimus (cf. 457, 18 et 439, 10 440, 21); hanc enim figuram a Caecilio inter figuras rhetoricas esse positam eoque distinctam nomine ex Tiberii discimus tractatu Rh. Gr. III p. 79, 15.

Aliud vero argumentum ad opinionem illam firmandam non tam ex verbis libelli quam ex modo et ratione disputationis erui posse opinor.

Alexandrum enim in unaquaque fere quaestione pertractanda antiquiorum rhetorum opiniones recensere dixi. Quò vel solo meritis est, ut ei primarium locum inter rhetores Graecos, qui post Augustum vixerunt, adsignemus. Ceteri enim, qui hac aetate de arte aliquid composuerunt, fere semper eo erant contenti, ut aridis praeceptis quae in scholis tradebantur collectis quam brevissime absolverent totam disputationem. Eandem vero atque Alexander institerat viam aetate Augusti Dionysius qui doctrina et eruditione posterioribus rhetoribus praestat. Cf. e. g. De Comp. v. c. IV. De Lysia c. 3. Ac fortasse non casu inter exigua Caecilii fragmenta servatum est unum quod historiam eius doctrinae quae ad figuras rhetoricas spectat prorsus simili illustrat modo. Cf. Rhet. Gr. III p. 44 et Quint. IX 1, 12. Id quidem ideo non casu factum esse mihi videtur, quod Caecilius, qui omnino iisdem atque Dionysius vacavit studiis, multis in quaestionibus cum illo consentit¹ non diversam a Dionysio disputandi rationem in scriptis rhetoricis instituisse probabile est. Quin igitur suspicemur Alexandrum Caecilii exemplum hac in re esse secutum nihil certe obstat. In libris autem Quintiliani aliud invenimus argumentum, quod suspicionem hanc firmare possit. Etenim particula quaedam operis Quintiliani, qua opiniones rhetorum antiquorum percensentur, ita cum disputatione Alexandri consentit, ut dubitari nequeat, quin uterque scriptor ex eodem hauserit fonte. Cf.

Quint. IV 2, 32: eadem nobis placet divisio, quamquam et Aristoteles ab Isocrate parte in una dissenserit, praeceptum brevitas inridens, tamquam necesse sit longam esse aut brevem expositionem nec liceat ire per medium, Theodori quoque solam relin-

Ars An. 439, 27: *Περὶ μέντοι συντομίας Ἀριστοτέλης ἐφίστησιν. εἰ γὰρ ἔστι, φησὶν, ἡ συντομία συμμετρία τῆς μήτε παραλιπούσης τι τῶν ἀναγκαίων, μήτε πλεοναζούσης, ἀρετὴ γενήσεται· εἰ δὲ ἔστιν ὡσπερ ἔνδεα τῆς ὑπερβαίνουσας τι τῶν χρησίμων, ἐν ταῖς*

¹ E. c. in censura scriptorum, Demosthenis, Lysiae, Platonis.

quant ultimam partem, quia nec breviter utique nec dilucide semper est utile exponere.

κακίας μᾶλλον ταχθήσεται ὁ δὲ Γαδάρεις Θεόδωρος τὴν πιθανότητα μόνην ἀρετὴν νομίζει τῆς διηγήσεως.

Fabius quidem non multos adhibuerat libellos Graecorum scriptorum, qui ei reconditionis doctrinae notitiam praebere possent. Inter eos vero auctores fuit Caecilius, ex quo non pauca exseripsit atque inter alias observationes ea quae de doctrina Apollodori tradidit. Quare consensum illum, qui inter Alexandri et Quintiliani disputationem intercedit, explicare ausim statuendo utrumque scriptorem ex Caecilii hausisse libro, quo hic rhetor orationis partes pertractavit praeceptisque instruxit.

In his tractatus sui particulis, quae rhetoricen antiquiorem illustrant, saepius attigit Alexander Theodori et Apollodori contentiones. Unde probabile fit usum eum esse libello Augusti fere aetate perscripto, qua scholae illae imprimis vigeant. Quarum alterius Apollodoreae doctrinam non neglexisse Caecilium supra monueram; nec minus nota ei fuisse Theodori praecepta ex illis verbis Alexandri et Quintiliani conicere licet, quae modo comparavi. Invenimus vero praeterea mentionem Theodori cuiusdam in tractatu ignoti auctoris *περὶ ὑψους*, quae maius momentum huic opinioni addere potest. Leguntur ibi haec verba (Rh. Gr. I p. 248): *τὸν παρακείται τρίτον τι κακίας εἶδος ἐν τοῖς παθητικοῖς, ὅπερ ὁ Θεόδωρος παρένθυσον ἐκάλει.* Quae quidem observatio ex Caecilii libro *περὶ ὑψους*, ex quo ignotus auctor plurima hausit, sine dubio est excerpta. Etenim, quae sequuntur atque cum hac disputationis particula artissime cohaerent, ea ex tractatu Caecilii se hausisse scriptor ipse confitetur. Ambiguum tamen praeterea id videri possit quemnam Theodorum habuerit hic Caecilius in mente, antiquum illum Byzantium an Augusti aequalem Gadareum. Mea tamen sententia verba illa, quibus nimium *πάθος* et inflatum orationis genus vituperantur, optime in doctrinam illius Gadarei quadrant, quem sprevisse et impugnasse Asianorum tumorem ex eo sane conicere licet quod discipulus eius Tiberius offendebatur Nicetis Asiatici et tumidi rhetoris ingenio. Cf. Seneca Suas. III 7.

Ex eodem tractatu *περὶ ὑψους*, qui fere totus Caecilianae doctrinae frustulis constat, aliud praeterea argumentum afferre ausim ad quaestionem quam proposui solvendam. Laudatur enim in eo Hyperidis oratio Deliaea p. 284, 24: *τὰ μὲν περὶ τὴν Ἀηϊά.* Huius autem orationis eandem particulam artis ignotus auctor, ubi quidem ex Alexandro hausit, exempli causa attulit, 439, 18:

παρ' Ὑπερίδῃ ὁ τῆς Ἀητοῦς μῦθος. Quem consensum propterea alicuius esse momenti puto, quod oratio illa a ceteris rhetoribus rarissime commemoratur, in Spengelii editione praeterea tantum a Hermogene Rh. Gr. II p. 288, 6. Suspiciari igitur ausim Caecilium in tractatu suo *περὶ ὕψους* et arte rhetorica eodem usum esse exemplo illiusque auctoritatem Pseudolonginum et Alexandrum secutos esse.

Adhuc igitur probasse mihi videor Alexandrum de rhetorices natura idem sensisse atque Dionysium, Alexandrum et Caecilium similem rationem disputandi instituisse in arte rhetorica perscribenda, laudasse denique Alexandrum auctores, quorum doctrinam Caecilium quoque in libris rhetoricis recensuerit.

Quod si re vera ex Caecilii libro Alexander in tractatu suo perscribendo hausit, prima illa observatio optime explicabitur, si statuerimus generales quoque illas sententias, quibus rhetorices natura definiatur, eiusdem esse auctoris. Quod sane optimo iure suspiciari licet; probabile enim est Caecilium, qui de multis minutis quaestiunculis eodem atque Dionysius iudicaverit modo, in doctrinae suae vi et indole describenda non diversam a Dionysii sententia probasse opinionem. Unde quidem apparet Augusti aetate exstitisse duos eosdemque praeclaros rhetores, qui subtiles Apollodori et Theodori doctrinas impugnare et refellere conati sint.

Quod idem consilium ex rhetoribus, qui posteriore aetate vixerunt, praeter Alexandrum imprimis Quintilianus est secutus. Qui quidem saepius eos irridet, qui leges dicendi quasi quaedam mysteria tradant certamque viam discipulis monstrent, de qua declinare non liceat. Cf. II 13, 2. 5. 6. V 13, 60 VIII pr. 2. 3. 12.

Jurkovo.

Casimirus Morawski.